

6.

Wien, ÖNB, Cod. 1062, f. 111r¹
Hunc librum possedit Benedictus episcopus Varadiensis, s. XIII. ex.

[Sermo secundus de sancto Ladislao rege]

(1) (f. 111r) „**Beata terra, cuius rex nobilis est**” (*Eccl* 10, 17). – „Beata lingua, que nunquam nisi de Deo novit constituere sermonem.”² Verba secundo proposita sunt sancti Ieronimi expergefacentis, suscitantis et incitantis quemlibet fidelem ad omnium transeuncium frivolas fabellaciones deponendas, et solas Christi laudes alacriter et continue cum iubilo referandas. „Beata – inquit – lingua” etc. Sed cum hoc paucorum sit, ymo nullorum, nisi ab eo detur, a quo bona cuncta procedunt, Salvatorem nostrum una tecum salutate, ut me participem faciat illius beatitudinis linguam meam aperiens ad enarrandum sua mirabilia, et corda vestra illuminet ad enarrata cum operis effectu audienda. Dicamus ergo unanimiter Pater noster et Ave Maria. „**Beata terra, cuius rex nobilis est.**” Verba ista leguntur in libro *Iesu filii Syrac*,³ vel secundum aliam appellacionem in *Ecclesiastico*, et potuerunt ea dici tempore sancti regis Ladislai, quia ipsius temporibus gens et terra Hungarorum beata non incongrue potuit predicari. Commendatur autem in eisdem verbis idem sanctus rex Ladislaus a duobus:

Commendatur primo a regalis dignitatis veneranda altitudine,
commendatur secundo a virtuose nobilitatis ammiranda amplitudine.

Primum intelligitur, cum „rex” appellatur, secundum declaratur, cum „nobilis” affirmatur. Fuit autem sanctus rex Ladislaus nobilis non solum nobilitate carnali, que multis adest et plerisque ad periculum, sicut testatur sanctus Gregorius: „Nonnullis solet nobilitas generis parere innobilitatem mentis.”⁴ Sed etiam nobilitate mentali, que in infinitum pocior est, sicut anima melior est carne, et ideo scribit sanctus Ieronimus: „Ille apud Deum potentior est, non quem nobilitas generis, nec dignitas seculi, sed quem devocio fidei et sancta vita commendat.”⁵

(1.1) Notandum autem, quod inter alia multa quatuor sunt, que decent statum regium, quibus sanctus rex Ladislaus extitit sollempniter decoratus, scilicet:

veritas,
providencia,
humanitas,
et strenuitas.

Fuit enim ipse rex beatus Ladislaus verus in iudiciis, providus in negociis, humanus in suis, strenuus in preliis.

(1.1.1) De primo scribitur in *Prov. Salomonis* (29, 14): „Rex, qui iudicat in veritate, tronus regni eius in eternum firmabitur.” O sancte rex Ladiziae, verus iudex extitisti et vivens et mortuus. De veritate iudicii tui, cum vivebas, patet illis amplius, qui tuam legendam amplius legerunt, vel tua mirabilia plenius didicerunt. Iusticiam vero, quam mortuus fecisti, patuit in illo, „cui cifum aureum vel argenteum, a quo calumnia auferre volebat, de tua tumba sanctissima mirabiliter reddidisti.”⁶ Sed domine sancte rex Ladiziae, licet bene advertisses in tuo iudicio illud, *Isaye* (5, 23), quantum ad alios: „Ve, qui iustificatis impium pro munieribus,

¹ Wien, ÖNB Cod. 162: colligatum theologicum Bononiense ca. a. 1270., sermo ca. a. 1290 in *Hungaria insertus*, cf. notam primam sermonis quinti. – (Madas–Horváth 2008, 110–114).

² Adam de Salimbene, *Chronica*. – CCCM 125, 112.

³ Recte *Ecclesiastes*.

⁴ Gregorius Magnus, *Dialogorum libri IV*, lib. 2, c. 23. – SChr 260.

⁵ Chromatius Aquileiensis, *Tractatus in Matthaeum*, 57. – CCSL 9A, 81.

⁶ Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 524, 30–525, 9.

et iusticiam iusti aufertis ab eo.” Tamen de tua persona coram facie Creatoris iusticiam facere nequaquam omisisti, sicut dicit sanctus Johannes apostolus (*I Io* 1, 8): „Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas in nobis non est.” Ergo, fideles, si veri iudices de nobis coram Deo esse cupimus, nos miseros et peccatores iudicemus secundum sanctam doctrinam sancti Bernardi: „Expedit, ut me iudice discutiam et cognoscam, quam vilis, quam fragilis, quam labilis ego sum,”⁷ ut sequatur iudicium accusacionis, non excusacionis.

(1.1.2) De secundo legitur in Evangelio sancti *Luce* (14, 31): „Quis rex iturus commissurus bellum contra alium, nonne sedens prius cogitat, si possit cum decem milibus occurrere ei, qui venit cum XX. milibus.” Bene dicit „occurrere”, quia decet providenciam regiam hosti suo occurrere, antequam terram suam ingrediatur. O sancte rex Ladiziae quam mente tenus istam providenciam habuisti corporaliter tuos prudenter custodiendo, et spiritualiter hostes spirituales viriliter expugnando. Debemus enim hosti nostro spirituali, antequam consensum nostrum ingrediatur, in primis foribus primarum cogitationum discrecius obviare, et ideo consultit nobis sanctus Petrus (*I Pt* 5, 8): „Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit querens, quem devoret, cui resistite fortes in fide.” O domine sancte rex Ladiziae, qualiter hic antiquo hosti restitisti, narrent et nuncient, „qui tuarum sanctorum lacrimarum profluvia in monasterio Waradiensi duros lapides cavancia audierunt aut viderunt”.

(1.1.3) De tercio scribitur in libro *Job* (29, 25): „Cum sederem quasi rex circumstante me exercitu, eram tamen merencium consolator.” Nonne ita audistis de domino nostro sancto rege Ladizlao? Ymo ita! „Erat enim pius pater orphanorum, sublevator oppressorum, consolator afflictorum.⁸ Nam a toto regno suo, quasi oblio nomine suo proprio, rex pius appellabatur.⁹ In cuius signum post eius obitum tribus annis tota Hungaria ipsius lugens mortem ab omni genere musicorum et timpanorum silendum decrevit et cessandum.”¹⁰ O sancte rex Ladiziae, utinam tui successores tuam pietatem adverterent et tua vestigia sequerentur. Sed veniet tempus, quando audient illud scriptum libri *Sap.* (6, 2 et 4): „Audite reges et intelligite, discite iudices finium terre, quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur.” Vobis enim, reges, qui non estis sequaces sancti regis Ladislai, sic consultur in *Eccli.* (4, 35): „Noli esse sicut leo in domo tua evertens domesticos tuos.”

(1.1.4) De quarto scribitur in libro (*I Reg.* (8, 20): „Iudicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis”, quod sine dubio de domino nostro sancto rege Ladizlao verum fuisse constat omnibus, fuit enim vir magni prelii defendens suos manu armata potenti et virili. Legitur de eo, „cum semel hostibus regnum suum devastare volentibus obviaret, et exercitus ipsius famis periculo gravaretur, ad preces ipsius Dominus feras misit innumerabiles, et sic esuriencium famem saturavit”.¹¹

(1.2) Ad secundum vero, scilicet virtuosam nobilitatem, sciendum, quod virtutibus eum plenum fuisse virtus divina miraculis innumerabilibus demonstravit. Audivistis enim inter cetera, quod „corpus suum exanime familis suis nescientibus et nolentibus currus iuvamine carens cuiusquam Waradinum asportavit”.¹² Cetera respiciantur in Legenda sancti Ladislai.

⁷ Bernardus (?), *Meditationes de humana conditione*, c. 9, 25. – PL 184, 500A.

⁸ Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 11–13.

⁹ Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 5–6.

¹⁰ Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 522, 11–20.

¹¹ Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 520, 5–15.

¹² Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 522, 17–523, 23.